

DE RATIONE ALLATA AB EPHESINO CONCILIO

CUR CHRISTI HUMANITAS PROPRIAM PERSONALITATEM NON HABEAT

Magnum Oecumenicum Concilium Ephesinum, cuius annum decies iam et quinquies saecularem celebramus, in hoc incubuisse ut Beatae Mariae Virginis maternitatem divinam in tuto collocaret, recte quidem asseritur; nemini tamen dubium est quin quaestio haec mariologica propter illud praecipue tractaretur quod, cum sit totius nostrae religionis fundamentum et decus, omnium Ephesinorum Patrum oculos in se convertit, illud dico sublime pronuntiatum quo unam in Christo profitemur personam, eamque divinam, ut in divinitate, sic etiam in humanitate perfecta subsistentem.

Cum autem Nestorius ipse contenderet se etiam unam in Christo personam profiteri, illud Ephesini Patres praeterire nequiverunt quod cardo erat in quo tota quaestio vertebatur, quaenam, scilicet, secundum sinceram doctrinam catholicam, esset ratio cur, divinitate personalitatem propriam retinente, humanitas, etsi perfecta maneret in Christo, propria tamen personalitate careret.

Hoc igitur, si placet, inquiramus: quam rationem afferat Concilium Ephesinum cur Christi humanitas propriam personalitatem non habeat.

Quoniam vero haec inquisitio diversimode potest intellegi, paulo est accuratius declaranda.

Non enim quaerimus quid Concilium definierit de formalí constitutivo personae in creatis: nam negamus Concilium intendisse aliquid de hac re definire.

Neque his quae dicturi sumus contendimus, rationem a Concilio allatam ita esse ultimam, ut nulla post eam maneat inquirenda.

Hoc tantum quaerimus: quaenam sit ratio quam de hac re affeat Ephesinum Concilium.

Quo autem magis in ipsius Concilii documentis maneamus, aliis omnibus praetermissis, tria haec solummodo perpendemus: sollemnem fidei definitionem contra Nestorium, Cyrilli et Synodi Alexandrinae epistulam ad eumdem haereticum, et duodecim anathematismorum explicationem.

I. — SOLLEMNIS FIDEI DEFINITIO CONTRA NESTORIUM

Nolumus nunc ipsam conciliarem definitionem exponere qua statutum est non esse in Christo nisi unam personam, eamque divinam, seu Christi humanitatem propria personalitate carere; hoc tamen res ipsa exigere videbatur, ut in rationem inquirentes cur, secundum Concilium, Christi humanitas propria personalitate non polleat, ab illo exordiremur documento, quod ipsius rei cuius rationem quaerimus definitionem continebat. Incipiamus igitur ab epistula secunda Sancti Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, quae postquam in Synodo lecta est, ita omnium Ephesinorum Patrum suffragium in se tulit, ita postquam responsio Nestorii lecta est, Patres omnes in haeresim Nestorii concitavit, ut praedicta Cyrilli epistula iure merito ab omnibus sine dubitatione ulla habeatur ut totius Oecumenici Concilii expressa declaratio.

Principio quidem meminit Cyrillus detractiones quasdam Constantinopoli sibi illatas; sed statim, illas praetermittens, Nestorium hortatur ut scandali causam auferat, recte de fide sentiens et loquens secundum Santos Patres.

Ei igitur in memoriam revocat definitionem Nicaeni Concilii, quod “*tradit IPSUM unigenitum Dei Filium ex Deo Patre secundum naturam generatum, DEUM verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem Pater omnia fecit, DESCENDISSE, INCARNATUM ESSE, hominem esse factum, passum esse, resurrexisse tertia die et ascendisse in caelos*” (1). Postquam autem sic ex Concilio Nicaeno ostendit Cyrillus in Christo non esse alium et alium, sed ipsum Dei Filium unigenitum eumdem esse qui humana sit passus pro nobis, seu non esse in Christo nisi unam personam, eamque divinam, statim addit, sedulo nobis quaerendum esse quid hoc significet, seu quaenam sit ratio cur Christi humanitas non habeat personalitatem propriam. Quod quidem

(1) Vertimus ex textu graeco editionis praecipuae et recentissimae Schwartzianae: *Acta Conciliorum Oecumenicorum iussu atque mandato Societatis Scientiarum Argentoratensis edidit Eduardus Schwartz (= ACO), t. I; Concilium Universale Ephesenum, vol. I; Acta graeca, pars 1.^a; Collectio Vaticana, 1-32, p. 26, linn. 20-23.*

declarare aggrediens ita pergit: “Neque enim dicimus, Verbi naturam per sui mutationem factam esse carnem, neque mutatam esse in totum hominem ex anima et corpore constitutum, sed potius Verbum factum esse hominem et filium hominis exstisisse INEFFABILI INCOMPREHENSIBILIQUE MODO SIBI CARNEM ANIMATAM ANIMA RATIONALI UNIENS SECUNDUM HYPOSTASIM, non per solam voluntatem aut beneplacitum (σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ ἐνώσας ὁ Λόγος ἔστω καθ' ὑπόστασιν, οὐ κατὰ θέλησιν μόνην ἢ εύδοκίαν)” (2). Et paucis interiectis: “Non quod naturarum diversitas propter unionem sublata sit, sed potius quia divinitas et humanitas unum nobis Christum et Filium perfecterunt PÉR INEFFABILEM ET ARCANUM AD UNITATEM CONCURSUM (διὰ τῆς ἀφράστου καὶ ἀπορρήτου πρὸς ἐνότητα συνδρομῆς). Sic etiam ille qui ante omnia saecula existit et ex Patre genitus est, natus dicitur ex muliere secundum carnem... quia propter nos et propter nostram salutem ex muliere prodiit, HUMANITATEM SIBI UNITAM HABENS SECUNDUM HYPOSTASIM... Ita unum Christum et Dominum confitemur, non quod hominem cum Verbo coadoremus (οὐχ ὡς ἀνθρώπον συνπροκυνοῦτες), ne illud *co* (*ενν*) divisionis imaginationem menti obiciat, sed unum eumdemque adoramus, quandoquidem corpus suum non est alienum a Verbo, cum quo et Patri ipsi assidet; iterum non quod duo filii assideant, sed unus: PÉR UNIONEM CUM PROPRIA CARNE (καθ' ἐνώσιν μετὰ τῆς ἴδιας σαρκός). QUOD SI UNIONEM SECUNDUM HYPOSTASIM TANQUAM INCOMPREHENSIBILEM INDECORAMQUE REPUDIAVERIMUS, EO PROLABIMUR UT DUOS FILIOS ESSE DICAMUS (ἐὰν δὲ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἐνώσιν ἢ ὡς ἀνέφικτον ἢ ὡς ἀκαλλῆ παραιτώμεθα, ἐμπίπτομεν εἰς τὸ δύο λέγειν νιόυς). Omnino enim necessarium erit ut distingamus, et dicamus, hominem quidem, SEORSUM POSITUM, honoratum esse appellatione filii, Dei autem Verbum, iterum SEORSUM POSITUM, filiationis nomen et rem physice possidere” (3).

Ex his manifeste apparet, Sanctum Cyrillum — vel potius ipsum Concilium Oecumenicum — postquam ut de fide credentum statuit, in Christo non esse alium et alium, seu non esse in ipso nisi unam personam, statim de re quam quaerimus maxime esse sollicitum. Et merito, notum est enim quanta versutia Nestorius affirmare auderet, se etiam unum Christum, unum Filium, unam in Christo personam profiteri. Quaenam igitur, secundum Cyrillum, est ratio cur humanitas Christi propriam personalitatem non habeat? Patet ex his quae nuper adduximus, NULLAM ALIAM ESSE HANC RATIONEM, NISI QUOD CHRISTI HUMANITAS SIT UNITA VERBO SECUNDUM HYPOSTASIM. De

(2) *Ibid.* 26^o-27^o.

(3) *Ibid.* 27^o-28^o.

entitate quae auferenda esset ab humanitate ut non esset persona, nihil prorsus.

Nec dicatur, secundum Sanctum Cyrillum, Verbum non assumpsisse personam humanam, seu non esse in Christo unionem personarum: nam in immediate sequentibus, cum huius unionis expresse minisset, eam omnino reicit NON EX EO QUOD EXISTIMET HUMANITATEM CHRISTI CARERE ALIQUA ENTITATE QUAM NOS HABEAMUS, SED E CONTRA EX EO QUOD EI SIT ADDITA UNIO HYPOSTATICA. Alexandrinum Doctorem iterum audiamus.

“Non ergo dividendus est in duos filios unus Dominus Iesus Christus. Ut autem haec fidei ratio integra teneatur, ad nihil inservit unio personarum quam quidam divulgant (4). Non enim dicit Scriptura Verbum sibi univisse personam hominis, sed carnem factum esse; VERBUM AUTEM CARNEM ESSE FACTUM, NIHIL EST ALIUD QUAM, SIMILI MODO AC NOS, CARNI ET SANGUINI COMMUNICASSE, CORPUS NOSTRUM FECISSE SUUM, ET HOMINEM EX MULIERE PRODISSI (τὸ δε σάρκα γενέσθαι τὸν Λόγον, οὐδὲν ἔτερόν ἐστιν, εἰ μὴ ὅτι, παρεπλησίως ἡμῖν, μετέσχεν αἷματος καὶ σαρκὸς, ἴδιόν τε σῶμα τὸ ἡμῶν ἐποιήσατο, καὶ πρῆλθεν ἀνθρώπος ἐκ γυναικός), quin desineret esse Deus et ex Deo Patre generari, sed et in assumptione carnis manens quod erat. Hoc ubique praedicat fidei accurata doctrina; hoc Sanctos Patres sensisse reperiemus; ita non dubitarunt Sanctam Virginem appellare Deiparam (Θεοτόκον): non quod Verbi natura vel divinitas initium ut esset a Sancta Virgine acceperit, sed quia nato ex ipsa sacro illo corpore anima animato rationali, EI SECUNDUM HYPOSTASIM UNITUM VERBUM natum dicitur secundum carnem” (5).

(4) *Ibid.* 28¹⁰⁻¹². Sine dubio alludit hic Cyrillus ad Nestorium, qui, et si saepe dicit, in Christo non esse nisi unicam personam, nihilominus saepe etiam declarat intellegendum hoc esse de *persona unionis*, videlicet, de Christo, quem ipse intellegebat esse personam quamdam moralem compositam ex duplice persona physica, non de persona Verbi: “Je disais et j'affirmais que l'union est dans un seul *prosôpon* du Christ... Toi TU FAIS LE CONTRAIRE. PARCE QUE TU VEUX QUE, DANS LES DEUX NATURES, DIEU LE VERBE SOIT LE *prosôpon* D'UNION.” Haec dicit Nestorius commentans hanc eamdem epistulam Cyrilli in opere cui maxime fidunt illi qui audent dicere Nestorium non esse nestorianum (*Le Livre d'Héraclide de Damas traduit en français par F. NAU*, p. 127). Similia profert multis aliis locis eiusdem operis, v. gr.: “C'est donc le Christ qui est le *prosôpon* de l'union, DIEU LE VERBE N'EST PAS CELUI DE L'UNION, MAIS DE SA NATURE” (p. 128). “Nous ne divisons pas l'union, ni le *prosôpon* qui (résulte) de l'union. Nous ne partons pas encore de Dieu le Verbe, comme d'un *prosôpon* d'union” (p. 129). “OU LES PÈRES ONT-ILS DIT QUE DIEU LE VERBE EST NÉ, SELON LA CHAIR, D'UNE FEMME?” (p. 131), etc. (Verba quae in hoc opere Nestorii inveniuntur inter uncinos sunt additiones vel explications ipsius Nau, cf. *ibid.* post introductionem).

(5) *Acta Conciliorum Oecumenicorum...* (= ACO), *ibid.* 28¹³⁻¹⁴.

II. — EPISTULA S. CYRILLI ET SYNODI ALEXANDRINAЕ AD NESTORIUM

Post concilarem fidei declarationem, de qua egimus, “omnes epi-scopi simul clamaverunt: Qui non anathematizat Nestorium, anatha-ma sit” (6). Tunc “Juvenalis, episcopus Hierosolimorum, dixit: Le-gantur et litterae reverentissimi et sanctissimi archiepiscopi Roma-norum Caelestini quas destinavit de fide” (7). Quibus lectis, “Petrus, presbyter Alexandriae et primicerius notariorum, dixit: His quae lecta sunt, consona scripsit sanctitas reverentissimi episcopi nostri Cy-rilli, quae et p[re]ae manibus habemus et, si iube vestra reverentia, legi-mus. Flavianus, episcopus Filippensium, dixit: Lecta et haec, inse-rrantur gestis. Petrus, presbyter et primicerius notariorum, legit” (8) epistulam Sancti Cyrilli et Synodi Alexandrinae ad Nestorium.

Ex hoc altero documento investigare intendimus mentem Con-cilii Ephesini de ratione cur humanitas Christi non habeat person-a-litatem propriam. Dicimus autem Concilii Ephesini mentem, non so-

(6) *Collectio Veronensis*, *ACO*, tom. I, vol. 2, p. 45, linn. 4-5. His verbis statim om-nes addiderunt sequentia: “**I**STUM **R**ECTA **F**IDES **A**NATHEMATIZAT, **I**STUM **S**YNODUS **A**NATH-EMATIZAT. Istum sancta synodus anathematizat. Qui communicat Nestorio anathema sit. OM-NES **A**NNATHEMATIZAMUS epistolam et DOGMATA NESTORII. HAERETICUM NESTORIUM OMNES **A**NNATHEMATIZAMUS. Communicantes Nestorio omnes anathematizamus. IMPIAM FIDEM NE-STORII OMNES **A**NNATHEMATIZAMUS. IMPIUM DOGMA NESTORII OMNES **A**NNATHEMATIZAMUS. Im-pitum Nestorium omnes anathematizamus. Universus mundus anathematizat impiam sectam Nestorii. Qui hunc non anathematizat, anathema sit. HUNC **R**ECTA **F**IDES **A**NNATHEMATIZAT. Hunc sancta synodus anathematizat. Qui communicat Nestorio anathema sit” (*Ib.* linn. 5-13). Eadem prorsus inveniuntur in *Actis graecis* (*ACO*, tom. I, vol. I, pars 2^a, p. 35, lin. 30-p. 36, lin. 6). Supponit HEFELE (*Histoire des Conciles*, tom. 2, p. 324) Concilium Ephesi-num ex mente Romani Pontificis nihil aliud potuisse agere quam exsequi sententiam a Papa latam contra Nestorium in Synodo Romana, et ideo excessisse limites suae potestatis perpendendo Nestorii doctrinam, eamque iudicando; sed nullam aliam probationem affert mirae huius affirmatio[n]is quam quod legatus Proiectus dixerit Papam hortari sanctam Synodum “ut ea quae dudum ante definire et nunc in memoriam revocare dignatus est, iuxta communis fidei regulam, catholicaeque Ecclesiae utilitatem, ad finem numeris om-nibus absolutum deduci iubetatis” (*MANSI*, 4, 1287, E; *ACO*, tom. I, vol. I, pars 3^a, p. 57, linn. 29-34); quae quidem verba significant quidem Patres Ephesinos nihil posse agere contra sententiam a Romano Pontifice latam, nullo tamen modo sibi volunt eos non posse illam confirmare, *iuxta communem fidei regulam* cognoscendo et iudicando; quod quidem et a priori videretur absurdum, et *Actis authenticis* contradicit. Omnia enim quae in hac prima sessione acta sunt, praeside Sancto Cyrillo, ut Romani Pontificis locum te-nente, ut aiunt expresse *Acta Concilii* (*ACO*, I, I, pars 2^a, 3, primo loco; *MANSI*, 4, 1124, B), recte omnino procesisse dixit legatus Philippus (*ACO*, I, I, pars 3^a, 59¹⁸⁻²⁰; *MANSI*, 4, 1293, B), iisque subscripserunt omnes legati (*ACO*, I, I, pars 3^a, 63¹⁰⁻¹²; *MANSI*, 4, 1300, E), postquam peculiari oratione singuli ea laudarunt (*ACO*, I, I, pars 3^a, 60¹⁸⁻²⁰-62²⁴). Ideo in professione fidei Orientalibus (Maronitis) praescripta expresse dicitur: “Ego N-firma fide etc. Veneror etiam et suscipio universales Synodos... EPHEGINAM PRIMAM, TER-TIAM IN ORDINE, ET PROFITEOR QUOD IN EA CONTRA NESTORIUM damnatae memoriae DEFI-NITUM EST, DIVINITATEM ET HUMANITATEM INEFFABILI ET INCOMPREHENSIBILI UNIONE IN UNA PERSONA FILII DEI UNUM NOBIS IESUM CHRISTUM constituisse, eaque de causa Beatissi-mam Virginem vere esse Dei Genitricem” (*DENZINGER, Ench. Symb.*, 1459 et 1462).

(7) *Collectio Veronensis*, *ACO*, I, 2, 45¹⁴⁻¹⁶. = *Acta Graeca*, *ACO*, I, I, pars 2^a, 36⁸⁻¹⁰.

(8) *Coll. Veron.*, ib. 45¹⁸⁻²⁴. = *Act. Graec.*, ib. 36¹⁴⁻¹⁷.

lius Sancti Cyrilli aut Synodi Alexandrinae: nam, etsi haec epistula cum duodecim annexis anathematismis sollemnissimam illam approbationem (ceteroqui non postulatam) non habeat quam praecedentem fidei definitionem vidimus esse secutam, constat nihilominus hanc etiam, veram esse Concilii Ephesini expositionem dogmatis contra Nestorium definiti: praeter enim quam quod a multis iam saeculis ita censet Ecclesia, iam ipsum Concilium Oecumenicum V, Constantinopolitanum II, gesta Ephesina referens et laudans, eodem prorsus modo hanc quam illam ut fidei normam proponit, quibus integre relativis ita concludit: “**Et HAEC quidem EST PARS GESTORUM QUAE EPHESI ACTA SUNT.** Pars autem gestorum quae Chalcedone habita sunt...” (9). Quanti autem synodicae hae litterae essent habendae aperte iam significaverat Concilium Oecumenicum IV, sive ipsum Concilium Chalcedonense: “Sufficeret quidem [inquit] ad plenam cognitionem et confirmationem pietatis hoc sapiens et salutare divinae gratiae symbolum [Nicaeno-Constantinopolitanum]... Sed quoniam hi qui veritatis reprobare praedicationem conantur, per proprias haereses novas voces genuerunt: alii quidem mysterium dispensationis Domini, quae propter nos facta est, corrumpere praesumentes, et vocem *theotocos* de Virgine dici denegantes... **EPISTOLAS SYNODICAS BEATISSIMI CYRILLI, ALEXANDRINAЕ ECCLESIAE PRAESULIS, AD NESTORIUM et ad Orientales CONGRUENTER HABENTES SUSCEPIT, AD CONVINCENDAS NESTORII VESANIAS, ET AD INTERPRETATIONEM EORUM QUI SALUTARIS SYMBOLI PIO ZELO NOSSE DESIDERANT INTELLECTUM”** (10).

Quo autem melius intellegatur documentum quod allaturi sumus, duo in antecessum ob oculos proponamus: documenti scilicet firmitatem et finem. Firmitatem, ut appareat rem proponi ut prorsus necessario tenendam. Finem, ne quis fortasse existimet, rem de qua quaerimus non attingi.

Documenti *firmitatem* luculenter ostendit initium epistulae, cuius haec sunt verba: “Ecce igitur simul cum Sancta Synodo quae in magna Roma convenit, praesidente sanctissimo et religiosissimo episcopo fratre ac comministro nostro Caelestino, tertio iam te hoc contestamur scripto, consilium tibi praebentes ut a stolidis his et absurdis doctrinis, quae tenes et doces, desistas, rectamque fidem sus-

(9) MANSI, 9, 308-328. Quoniam de hac epistula Sancti Cyrilli et Synodi Alexandrinae ad Nestorium cum anathematismis annexis, et speciatim de his anathematismis, articulum confecimus *Los doce anatematismos de San Cirilo*, qui, Deo iuvante, prodidit mense Iulio proximo in Ephemeridibus *Estudios Eclesiásticos*, liceat nobis hoc loco benevolum lectorem ad illum remittere in ulteriorem confirmationem eorum quae in textu dicimus de approbatione praedictae epistulae et anathematismorum a Concilio Ephesino.

(10) MANSI, 7, III, D-114, C.

cipias, quae Ecclesiis tradita est ab initio per sanctos Apostolos et Evangelistas, qui facti sunt verbi spectatores et ministri. Quod si hoc non egerit Reverentia Tua, secundum constitutas inducias in litteris memorati sanctissimi et religiosissimi, comministri nostri, Romanorum episcopi, Caelestini, scito nullam te sortem habiturum esse nobiscum, nullumque tibi locum esse futurum inter Dei sacerdotes et episcopos” (11).

Finem documenti quod allaturi sumus, non esse tantum expōnere factum unitatis personae in Christo, sed potius rationem eius declarare, seu cur Christi humanitatis propriam personalitatem non habeat, ostendunt verba sequentia: “Non tamen sufficiet ut Reverentia Tua profiteatur tantum fidei symbolum opportune in Spiritu Sancto expositum a Sancta et magna Synodo tunc congregata Nicaeae (HOC ENIM NON RECTE, SED PERVERSE POTIUS INTELLEXISTI ET ES INTERPRETATUS, ETSI VERBIS IDEM FATEARIS), sed opus est ut scripto et iureiurando confitearis te tua quidem prava et profana dogmata anathematizare, sentire autem et docere ea quae et nos et omnes qui in Occidente et Oriente sunt episcopi et doctores et populorum praepositi... Hisce autem litteris nostris subiunximus ea quae oportet ut sapias et doceas, et ea a quibus expedit ut abstineas” (12).

Hisce ob oculos positis, videamus quam sollicite Sanctus Cyrilus rationem afferat cur una sit in Christo persona, seu cur Christi humanitas propriam personalitatem non habeat. Ex quattuor praecipue doctrinae capitibus hoc videtur ostendere: ex adoratione Christo tribuenda, ex sanctificatione nobis in Eucharistia proveniente, ex communicatione idiomatum et ex Beatissimae Virginis Mariae maternitate divina.

1. *Ex adoratione Christo tribuenda.* — Postquam integrum symbolum Nicaenum descriptis Cyrilus, ita in summam colligit ea quae pertinent ad unitatem personae in Christo: “Sequentes autem ubique Sanctorum Patrum confessiones... dicimus ipsum Unigenitum Dei Verbum... incarnatum et inhumanatum esse, hoc est, carnem cum accepisset ex Sancta Virgine, EAMQUE SIBI PROPRIAM FECISSET ex utero, nativitatem ut nos pertulisse et hominem ex muliere prodiisse...” (13). Quo facto, gradum facit ad ostendendum cur unum adoremus Filium et Dominum Iesum Christum, non duos, seu cur Christi humanitas non ut propriam personalitatem habens sit adoranda: “Unum autem adoramus Filium et Dominum Iesum Chri-

(11) *ACO*, I, I, I, 33²²-34⁶.

(12) *Ibid.* 34²²⁻²³.

(13) *Ibid.* 35¹⁸⁻¹⁹.

stum, OMNINO CONFITENTES VERBUM UNITUM ESSE CARNI SECUNDUM HYPOSTASIM (ἥνωσθαι γε μὴν σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ὁμολογοῦντες τὸν Λόγον) NON SEPARATIM PONENTES ET DIVIDENTES HOMINEM ET DEUM, QUASI INTER SE CONIUNCTOS DJGNITATIS ET AUCTORITATIS UNIONE (HOC ENIM NON EST NISI VACUUM VERBUM, ΚΕΝΟΦΩΝΙΑ, ET NIHIL ALIUD), neque omnino Christum separatim nominantes Verbum ex Deo, neque simili-
ter alterum Christum separatim eum qui est ex muliere, sed unum solum Christum agnoscentes Verbum ex Deo Patre cum propria carne... Sed neque illud dicimus, Dei Verbum habitasse in eo qui natus est ex Sancta Virgine, tanquam in homine communi, ne Christus intellegatur homo Deum ferens (Θεοφόρος)... sed UNITUM SECUNDUM NATURAM (ένωθείς κατὰ φύσιν) [id est, substantialiter] (14), non autem versum in carnem, talem habuit habitationem, qualem et anima hominis habere dicitur in proprio ipsius corpore. Unus igitur Christus et Filius et Dominus, NON CONIUNCTIONE HOMINIS AD DEUM QUAE UNITATEM HABEAT SIMPLICITER SECUNDUM DIGNITATEM VEL AUCTORITATEM: AEQUALITAS ENIM HONORIS NATURAS NON UNIT (οὐ γάρ ἔνοι τὰς φύσεις [ἡ] ισοτιμία). Etenim Petrus et Iohannes aequalis quidem honoris sunt inter se, ut Apostoli et sancti discipuli, NEC TAMEN SUNT UNUS, SED DUO. Neque sane secundum appositionem intellegimus coniunctionis (τῆς συναφείας) modum (hoc enim non sufficit ad unionem physicam, πρὸς ἔνωσιν φυσικήν), neque quasi secundum participationem affectualem, sicut et nos, ut scriptum est, unus spiritus sumus cum eo, sed potius nomen coniunctionis (τὸ τῆς συναφείας ὄνομα) recusamus, utpote non idoneum ad significandam unionem. Sed nec Dei Patris Verbum, Christi Deum aut Dominum nominamus, ne rursus aperte secemus in duos unum Christum et Filium et Dominum... DEI ENIM VERBUM CARNI UNITUM SECUNDUM HYPOSTASIM, ut antea diximus, et Deus est omnium et universi orbis Dominator” (15).

2. *Ex sanctificatione nobis in Eucharistia proveniente.* — Postquam de Christi unius adoratione egit Cyrillus, aliud attingit doctrin-

(14) *Ibid.* 35^ο-36^η. Sanctum Cyrrillum vocatum esse ab aliquibus monophysitam, ridiculum sane foret, nisi esset lugendum. Non est huius loci eum ab hac nota iniustissima vindicare. Sufficit legisse aliquid ex eius epistulis et operibus ut perspiciat clarissime, Sanctum Doctorem saepe numero perfectam divinitatem et perfectam humanitatem in Christo defendere quod ex hac etiam epistula patet evidenter. Nec formula illa: μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σταρχωμένη (ceteroqui absens a documentis quae in hoc articulo adducimus), quam ex Apollinaristico libro deductam, existimat esse Athanasii, et si a Cyrrillo tenaciter, propter hoc ipsum, defenditur, unquam nisi orthodoxe ab eo intellegitur. Unionem autem hanc κατὰ φύσιν, seu φυσικήν, non esse nisi unionem physicam, ut morali opponitur, sive, ut alias dicit, veram (Cf. *infra*, p. 12) qua VERE fiat *unum per se*, unionem vide-licet substantialiem, patet ex contrapositione qua perpetuo Cyrillus hanc unionem opponit coniunctioni mere morali seu accidentalii Nestorii, qua non vere, sed modo tantum fucato constitutur *unum per se subsistens*, una persona.

(15) *ACO*, I, 1, 36^ο-^η.

nae caput suavissimum: sanctificationem nobis ex Christi carne provenientem, non ex mero quodam homine promanare, seu non ex humanitate Christi propriam personalitatem habente, sed ex Christi carne quae VERE VERBI SIT PROPRIA, manifeste significans, hoc idem esse atque propria personalitate carere.

Ipsius Sancti Doctoris verba pientissima referamus. “Incruentum in Ecclesiis celebramus sacrificium, atque ita ad mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur participes effecti sanctae carnis et pretiosi sanguinis omnium nostrum Salvatoris, Christi, neque illam ut carnem communem accipimus, absit, ΝΕΩΣ ΤΟΥ ΗΟΜΙΝΙΣ ΚΩΙΣΔΑΜ SANCTIFITATΙ ΕΤ ΒΕΡΒΟ ΚΟΙΝΩΝΙΑΙ (συναφθέντος) ΣΕΚΟΝΔΟΜ ΥΝΙΤΙΟΝΕΜ ΔΙΓΝΙΤΑΣ, ΑΥΤ ΔΙΒΙΝΑΜ ΙΝΗΑΒΙΤΑΣΙΟΝΕΜ ΣΟΡΤΙΤΙ, sed tanquam vere vivificam et IPSIUS VERBI PROPRIAM (ἰδίᾳ αὐτοῦ τοῦ Λόγου): nam, cum vita sit ut Deus secundum naturam, postquam unum quiddam cum ipsa sua carne effectum est, vivificandi virtutem illi contulit. Etsi ergo ad nos dicat: *Amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non ut hominis cuiuslibet nostrae conditionis carnem existimare debemus (quomodo enim hominis caro secundum naturam suam queat esse vivifica?), sed ut vere illius propriam factam (ἀλλ' ὡς ιδίᾳ ἀληθῶς γενομένην), qui propter nos etiam filius hominis et factus et appellatus est*” (16).

3. *Ex communicatione idiomatum.* — Facto praedicationis mutuae stabilito, rationem statim affert Cyrillus cur talis praedicatio habeatur, unitatem personae, cuius rationem iterum tradit, UNIONEM INDISSOLUBLEM, similem unioni quae exsistit animam inter et corpus in homine: “Voces autem quae de Salvatore nostro in Evangeliis dicuntur duabus hypostasibus vel personis nequaquam tribuimus: unus enim et solus est Christus, non duplex, etsi ex duabus et diversis rebus intellegatur coaluisse IN UNITATEM INDISSOLUBLEM (εἰς ἐνότητα τὴν ἀμέριστον συνενηγμένος); quemadmodum etiam homo, licet ex anima et corpore intellegatur, non duplex tamen, sed unus est ex utroque” (17).

4. *Ex Beatissimae Virginis Mariae maternitate divina.* — Finem imponit Sanctus Cyrillus declarationi sua dogmate illo sublimi quod, initium cum dederit controversiae, fidelium animos maximo semper replevit solatio, Beatissimae, inquam, Virginis Mariae maternitate divina. Cur Matrem nostram dilectissimam recte dicimus Matrem Dei? Quia corporaliter genuit DEUM CARNI UNITUM SECUNDUM HYPOSTASIM: “QUONIAM vero DEUM UNITUM CARNI SECUNDUM

(16) *Ibid.* 37^ο-38^ο.

(17) *Ibid.* 38^ο-9.

HYPOTASIM ('Επειδὴ δὲ Θεὸν ἐνωθέντα σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν) Sancta Virgo genuit corporaliter, ideo illam quoque dicimus esse Deiparam (Θεοτόκον): non quod Verbi natura existendi initium habeat ex carne... sed QUAIA, HUMANITATE SECUNDUM HYPOTASIM SIBI UNITA (ἐπειδὴ καθ' ὑπόστασιν ἐνώσας ἔστω τὸ ἀνθρώπινον), nativitatem, ut praediximus, ex ipso utero passus est habere corporaem" (18).

III. — DUODECIM ANATHEMASTISMORUM EXPLICATIO

Duodecim anathematismos Sancti Cyrilli approbatos esse a Concilio Ephesino, non est nostri muneris in praesentia demonstrare. Liceat nobis illud assumere ex dicendis in articulo, quem, Deo iuvante, propediem edemus (19). Eadem in his anathematisimis doctrina invenitur, atque in epistula eiusdem Sancti Doctoris et Synodi Alexandrinae ad Nestorium, de qua nuper egimus; nec mirum, sunt enim epistulae praedictae conclusio. De quibus tamen anathematisimis hucusque nihil diximus, quia uberiorem eorum expositionem in hunc locum servavimus, ubi ipsum Sanctum Cyrillum sequemur interpres, quippe qui eos per se ipse declaravit (20).

Brevitati autem consulentes, de tribus tantum prioribus disseremus.

i. *De primo anathematismo.* — Quae nuper ex epistula depromebamus de Beatae Mariae Virginis maternitate divina, uberiorem lucem accipiunt ex hoc primo anathematismo, qui totus in hac praecellenti praerogativa illustranda versatur. "Si quis [inquit] non confitetur, Emmanuelem vere esse Deum, et propter hoc Sanctam Virginem esse *Deiparam* (genuit enim secundum carnem incarnatum Dei Verbum), anathema sit" (21).

Quod quidem ita declarat: "Beati Patres qui olim convenerunt Nicaeae... se credere professi sunt... in unum Dominum Iesum Christum... asserentes, ipsum quod ex Deo Patre Verbum emicuit, per quod omnia facta sunt, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, incarnatum et inhumanatum esse, passum esse et resurrexisse. Etenim cum unigenitum Dei Verbum natura Deus esset, *semen Abrahae*, ut beatus Paulus dicit, *apprehendit*, et similiter ac nos, carnis et sanguinis factum est particeps: natum est enim secundum carnem ex

(18) *Ibid.* 40^o.

(19) *Estudios Eclesiásticos*, mense iulio, ut diximus.

(20) Hanc explicationem Ephesi prouintiam esse ab ipso Sancto Cyrillo de mandato Concilii, dicit titulus eidem praefixus, etiam in recentissima editione Schwartziana (*ACO*, I, 1, 5, 15¹⁴⁻¹⁵). Quod quidem, nedum infirmetur, aliis documentis roboratur, ut ostendimus in nuper indicato articulo.

(21) *Ibid.* 16²⁰⁻²¹.

Sancta Virgine, et aequa ac nos homo factum est, non amittens esse Deum, absit, sed exsistens quod erat, et permanens in divinitatis natura et gloria. Dicimus igitur hominem esse factum, non mutationem passum in id quod non erat... sed neque ullam essentiae illius cum carne commixtionem aut confusionem aut concretionem factam esse statuimus, SED ASSERIMUS, VERBUM UNITUM ESSE CARNI ANIMAM RATIONALEM HABENTI, MODO QUIDEM MENTEM AC LINGUAM NOSTRAM PLANE SUPERANTE, QUEM SOLUS IPSE NOVIT (φαμὲν δὲ σαρκὶ ψυχὴν ἔχοντην λογικὴν ἥνωσθαι τὸν Λόγον ὑπὲρ νοῦν τε καὶ ἀπορρήτως καὶ ὡς μόνος οἶδεν αὐτός)” (22).

In hoc igitur primo et maxime sollemni anathematismo, quo Beataissimae Virginis maternitate divina propugnata, omnis praecluditur aditus tergiversationi Nestorii, et sacro illo verbo *theotocos* integra compendio includitur Incarnationis oeconomia: ut declaret Cyrillus quid causae sit cur Filius Beatae Virginis non sit persona humana, seu cur humanitas Christi non habeat personalitatem propriam, hanc unam affert rationem: VERBUM EI ESSE UNITUM, UNIONE QUIDEM INCOMPREHENSIBILI ET INEFFABILI.

2. *De altero anathematismo.* — Unitatem personae in Christo, seu carentiam personalitatis humanae, unione hypostatica Verbi cum humanitate esse declarandam, ipso huius anathematismi enuntiato plane ostenditur, quatenus pro eodem habetur, in Christo eumdem, qui est Deus, esse hominem, atque Verbum carni esse unitum secundum hypostasim: “Si quis non confitetur, CARNI SECUNDUM HYPOSTASIM UNITUM ESSE DEI PATRIS VERBUM, UNUMQUE ESSE CHRISTUM CUM PROPRIA CARNE, EUMDEM SCILICET DEUM SIMUL ET HOMINEM, anathema sit” (23).

Quod quidem in explanatione uberius declaratur: “Dei Patris Verbum caro factum est: non per transmutationem vel conversionem suae ipsius naturae, ut iam diximus, sed potius **QUIA CARNEM EX SANCTA VIRGINE PROPRIAM SIBI FECIT, UNUS IDEMQUE FILIUS EXSISTENS**, ante incarnationem quidem ut Verbum adhuc sine carne, post incarnationem vero idem in corpore. **HINC PLANE EST UT EUMDEM DEUM SIMUL ET HOMINEM ESSE DICAMUS**, non divellentes eum in hominem PER SE AC SEPARATIM POSITUM, et in Deum Verbum SEIUNCTIM PER SE CONSIDERATUM, NE DUOS FILIOS INTELLEGAMUS, SED UNUM EUMDEMQ^E Christum et Filium et Dominum esse confitentes” (24).

3. *De tertio anathematismo.* — Clarissime fortasse omnium, ex-

(22) *Ibid.* 17⁸⁻¹⁰.

(23) *Ibid.* 17⁸⁸⁻⁸⁹.

(24) *Ibid.* 18⁸⁻⁹.

pianatio huius anathematismi continet quod intendimus. Afferuerat Cyrillus in enuntiato ipsius, unionem naturarum in Christo non esse moralem dumtaxat, sed physicam; ut autem ostendat hanc esse rationem cur una sit Christi persona, seu cur Christi humanitas propriam personalitatem non habeat, haec subiungit: "DEI PATRIS VERBUM, ADMIRABILI INEXPLICABILIQUE MODO, SANCTO CORPORI ANIMAM RATIONALEM HABENTI UNITUM DICIMUS: ATQUE ITA UNUM ESSE FILIUM INTELLEGIMUS (παραδόξως τε καὶ ἀπορρήτως ἡνῶσθαι φαμὲν ἀγίῳ σώματι ψυχὴν ἔχοντι λογικὴν τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, ἐνα τε οὕτω νοοῦμεν Υἱόν). Quemadmodum nimirum et in nobis ipsis cernere licet: SUNT SANE ANIMA ET CORPUS NATURAЕ DIVERSAE, AT DUO HAEC INTER SE CONIUNCTA UNUM ANIMAL CONSTITUUNT. Verum non ita haec se habere opinantur quidam: STATUENTES' NOBIS HOMINEM PER SE AC SEPARATIM, EUM DEI PATRIS VERBO SECUNDUM SOLAM DIGNITATEM SIVE AUCTORITATEM CONIUNCTUM DICUNT, NON AUTEM SECUNDUM PHYSICAM, HOC EST VERAM, UNIONEM, UT NOS CREDIMUS (οὐ καθ' ἔνωσιν φυσικὴν, τουτέστιν ἀληθῆ, καθάπερ ἡμεῖς πιστεύομεν)... Qui itaque hypostases post unionem dividunt, et singulas, hoc est Deum et hominem, statuunt separatim (ἀνὰ μέρος τιθέντες ἐκατέραν, τουτέστιν ἄνθρωπον καὶ Θεόν), talemque inter eas coniunctionem configunt, quae sit secundum solam dignitatem, hi constituunt penitus duos filios (δύο που πάντως ιστῶσιν νιούς)... Eos vero qui ita non credunt, sed ut dicebam, hypostases post unionem dividunt, et meram illis coniunctionem (συνάφειαν) tribuunt secundum solam dignitatem sive auctoritatem, PROPOSITUS HIC ANATHEMATISMUS AB IIS ALIENOS ESSE IUDICAT, QUI QUAE RECTA SUNT SENTIRE CONSUEVERUNT" (25).

CONCLUSIO

Alia quidem plurima loca potuissemus afferre tum Patrum Ephesinorum tum ipsius Cyrilli, in quibus omnibus eamdem inveniremus sententiam; brevitatis tamen causa, ea tantum selegitimus, quae aut definitionem ipsam Ephesinam constituunt aut eam immediate illustrant, quippe quae maximi momenti esse videantur. Non quod dicamus, intendisse Concilium definire quaenam sit ratio cur Christi humanitas propriam personalitatem non habeat, sed quia ea quae inter definiendum Ecclesia profert, ad eius mentem intellegendam maximi sane sunt ponderis.

Contendere autem, Concilium rationem cur Christi humanitas propriam personalitatem non habeat afferre intendisse non integrum, sed ei addendum esse praeterea quod humanitas Christi careat re ali-

(25) *Ibid.* 18th-19th.

qua positiva quae in nobis sit personalitas, praeter quam quod Cyrillo auctori repugnare, statui ipsi controversiae cum Nestorio adversari videretur.

Cyrillo, inquit, auctori repugnare videretur: ipse enim ad Reginas referens quid de unitate personae in Christo, adversus Nestorii tergiversationes, sit orthodoxe tenendum, expresse approbat dictum Theophili, ita loquentis: “Factus est [Christus] voluntate sua homo; NEC QUIDQUAM OMNINO QUOD HUMANITATI COGNATUM ESSET, PRAETER UNAM IMPIAM MALITIAM, RELIQUIT” (26).

Statui, addimus, controversiae cum Nestorio adversari videtur assertio praedicta. Nam eatenus sustineri posset, quatenus non ageretur in controversia illa de ratione sufficienti assignanda cur Christi humanitas propria careat personalitate; hoc autem rei veritati plane adversari videtur. Praeter enim quam quod saepe iam, data occasione, hoc idem advertimus, IPSE NESTORIUS in responsione ad alteram Cyrilli epistulam, quae simul cum hac lecta est in Concilio, POSTQUAM CYRILLUM DE ASSERTIONE DUPLICIS NATURAE PERFECTAE IN CHRJSTO LAUDAVIT, QUAERIT STATIM CUR, HOC POSITO, quin secum ipse pugnet, AFFIRMET UNICAM ESSE IN CHRISTO VERBI PERSONAM (27), quod sane nihil est aliud quam quaerere, quaenam sit ratio sufficiens cur Christi humanitas, cum sit perfecta, propriam nihilominus personalitatem non habeat.

Quae cum ita sint, ratio quam affert Ephesinum Concilium cur humanitas Christi non habeat personalitatem propriam non est quod careat aliquo positivo, sed quia Verbo unitur substantialiter.

Quapropter dici etiam debet de Ephesino Concilio quod, post magnos theologiae positivae parentes, Petavium et Thomasinum, nostris diebus clarissimus Michel—aliunde addictus opinioni Capreoli—post diligentem investigationem non dubitavit asserere: “De tout ce qui précède, la pensée des théologiens grecs semble exactement résumée par Tiphaine... L'hypostase peut se définir: *substantia per se discreta, aut per se separata, vel per se ac seorsim posita*. Ces expressions sont empruntées presque textuellement à saint Jean Damascène... On trouve des termes analogues chez les autres Pères... C'est la réalité qui ne fait pas partie d'un tout et qui est ce tout lui-même” (28).

IOACHIM PUIG DE LA BELLACASA, S. I.

Barcinone, Sarrià. In festo Annuntiationis B. M. V. 25 Martii 1931.

(26) PG, 76, 1217, A; 1218, A.

(27) ACO, I, 1, r, 30^{18.21}. = Le Livre d'Héraclide de Damas, p. 129.

(28) VACANT, Dictionnaire de Théologie Catholique, tom. 7, col. 404 (art. Hypostase).